

vère doctissimi Fidei, & Religionis Magistri in Christiani Orbis Metropoli, quibus Propositionum examen à Sede Apostolica commissum est: ignorare Cardinales, atque ipsi Summi Pontifices Propositioni primæ dicentes anathema; quia juxta Quesnelli somnium, seu putidissimum mendacium, putaverint hominibus justis à Jansenio negari habitualem gratiam, & charitatem.

25 Neque Jansenius omnem, nempe incompletam, & salvandæ libertati minimè sufficientem, servandorum præceptorum potentiam justis illis denegavit; nam postquam Propositionem primam iisdem, quibus in damnatione exprimitur vocibus, tradiderat lib. 3. de Gratia Christi, cap. 13. nihilominus cap. 15. distinguit 4. possibilitatis in præceptorum observatione modos, quorum tres primos in justis omnibus agnoscit. *Possumus, inquit, ea servare primò remotissimè, per solam liberi arbitrii flexibilem facultatem ad bonum, & malum. Secundo, paulò propinquius per Fidem, quamvis dilectione Dei, & actuali Dei adjutorio, internisque viribus charitatis careamus. Tertio, multò plenius, propinquiusque per charitatem, per quam homo justificatur. Quarto completissimè, quando Sancti Spiritus inspiratione sic voluntas preparatur, ut non nudè possit, sed etiam velit.*

26 Hic exultant Jansenianæ hæreseos patrones. Si, inquirunt, ut patet, Jansenius tres possibilitatis modos in omnibus justis professus est, quomodo damnatur ejus sensus in primâ Propositione, sive, quod idem est, prima Propositio damnatur in ejus sensu?

27 Respondeo, quia tres illi possibilitatis modi, tantum incompleti sunt, improprii, & ad salvandam libertatem nequaquam sufficientes, ut omnes noverunt Catholici; atque ipse falsus est Jansenius lib. 2. de Gratia Christi cap. 1. dicens: *Cujus medicinali gratiâ, & adjutorio, nisi vires pristina restaurentur, tam est impossibile voluntati, ut bene velit, & operetur, quam homini cæco ut videat, vel surdo ut audiat, tibiis fracto ut rectè gradiatur, quamvis eis, & lux, & species, & scipiones, & omnia cætera sanitatis adjumenta suppetant.* Ubi non obstantibus tribus superioribus possibilitatis modis sinè gratiâ actuali, eaque efficaci, quæ sola à Jansenio, *Christi gratiâ medicinalis, & adjutorium* vocatur, præceptorum asseritur impossibilitas, & quidem non moralis tantummodo; sed & physica, ut ex triplici addita comparatione manifestum est.

28 Secunda præsentia suppositio non minus frivolum Quesnelli commentum est. Quis enim Jansenii adversarius ei unquam affinxit, aut primæ ejus damnatæ propositioni, quòd

omnem penitus à Justis cadentibus excluderent actualem gratiam, quæ aliquid potestatis superaddat habituali? In ipsa damnata Jansenii propositione declaratur agi de *Justis volentibus, & conantibus secundum præsentem quas habent vires*; sed volentibus & conantibus voluntate, & conatu debili, secundum præsentem gratiæ debilis, & non sufficientis vires, majore concupiscentiæ ardore illas necessariò superante, juxta famosum Jansenii principium, *Quòd magis nos delectat, delectatione indeliberatâ* (seu gratiæ, seu concupiscentiæ) *secundum id velimus* (volitione deliberatâ) *& operemur necesse est.* Ut igitur Jansenio, Quesnello, & eorum sequacibus tribuamus primæ propositionis Jansenianæ hæresim, minimè opus est, à nobis supponi, quòd Authores illi *Justis volentibus, & conantibus secundum præsentem, quas habent vires*, omnem penitus denegent gratiam actualem, sed quòd denegent sufficientem. Quid ad præcepti implementationem conferre potest insufficientis? Non plus quàm ala una ad volandum, sive ut Jansenii comparationibus utamur, quàm lux & species cæco, ut videat; fractis utrisque cruribus scipiones, ut quis rectè gradiatur.

29 Non minùs inane est tertium suppositionis figmentum; non enim supponimus, nec ullatenus supponere necesse est, Jansenium, sive Quesnellum, ut primæ Jansenianæ hæreseos reus sit, negasse justis labentibus omnem gratiam ad vitandam peccati occasionem, aut ad orandum; quid enim rursus jurat eos habuisse gratiam aliquam, ad vitandam occasionem, aut orandum, si ad neutrum effectum gratiam habuerint sufficientem, sive, ut in propositione Jansenii exprimitur, desit illis gratia, qua præcepta possibilea fiant, vel immediatè, vel mediante oratione congruâ, quâ proximè & immediatè sufficiens gratia obtineatur? Ita desit juxta Quesnellum gratia sufficiens, ut possimus occasiones vitare, vel orare sicut oportet, quoties occasiones non vitamus, nec oramus re ipsa ut oportet. Tunc enim gratia desit efficax ut patet: sinè illâ juxta Quesnellum, *non solum nihil boni facimus, sed nec facere possumus.* Non igitur occasiones malas vitare, non orare sicut oportet, sive ut Augustinus loquitur, quomodo, & quantum res talis, & tanta (gratia) petenda est.

30 Quarti suppositi vanitas, & falsitas prioribus non cedit; nam, & Jansenii sensum in primâ sua propositione, uti & in cæteris anathemate perstrictum scimus, nec tamen negasse Jansenium, quòd subinde præcepti alicujus transgressio sinè gratia impediri valeat solis naturæ viribus, & impulsu ambitio-